

ov

Wahl in Abt

10

U. g. 17, 9



CHRISTO CLEMENTER GUBERNANTE;
Magnifico Jctorum Jenensium

Ordine permittente;

P R A E S I D E N T E

V I R O

Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo atq; Consultissimo

Dn. ERNESTO FRIDERICO

SCHRÖTERO, J. U. D. Prof. Publ. celeberrimo,

Consil. Saxon. Curiae Prov. Facult. Jurid. & Sca-

bin. Assessore gravissimo, Patrono, Hospite atque

Præceptore suo omni honoris atq; observantiae

cultu atatem prosequendo,

MISCELLANEA S

POSITIONES,

publicae disquisitioni exhibet

JOHANNES FRIDERICUS Hanwacker/

Masfeldia-Hennebergicus.

In Auditorio Jctorum

ad D. Mart.

Horis consuetis.

ANNO

ACADEMIAE nostrae IVBILAE.

1658

J E N A E

Literis JOHANNIS NISII.

VIRI S
*Magnifico, Amplissimis, Consultissimis, atque Ex-
cellentissimis*

**DN. JOHANNI HEIN-
RICO MOENIO in Xuerstedt/ Jcto**
celebratissimo, Serenissimi ELECTORIS SAXONIÆ,
&c. ut & Illustrissimi atque Celsissimi Principis ac Do-
mini DN. MAURITII, Ducis SAXONIÆ &c. Domini
mei clementissimi, Cancellario, & respectivè
Consiliario eminentissi-
mo.

DN. PAULO HORNICHIO,
Juniori, Philosoph. & J. U. D, nec non
Practico celeberrimo.

**DN. CHRISTIANO FRI-
DERICO Franckenstein/ LL. & Histor.**
in Academia Lipsiensi Prof. Publ. ce-
leberrimo.

*Dominis, Patronis, atque Præceptoribus suis
omni observantia culta æ viternum colendis,
suspiciendis.*

In sui suorumque studiorum commenda-
tionem, ut & ulteriorem favorem,
ac benevolentiam, hæc positiones
legales, juxtaque se totam
*obsequiosè
offere*

AUTOR.

CUM JESU!
Præloquium.

Vela in vastum juris Romani pelagus
extensus, naviculam meam non
defecatis antiquitatum quisquiliis,
sed elegantibus quibusdā controversiis ex uni-
verso juris nostri systemate collectis, quantum
virium mearum modulus patitur, onerare
constitui. Quas dum brevi dissertatione ex-
ponere meditor, ipsa varietatis voluptas, qua,
teste Tullio, legentium animos vehementer re-
tinere solet, non solum exoptatam Lectoris be-
nevolentiam, sed & opera mea pretium mihi
promittere videtur certissimum. Antequam
autem vela ventis committam, non ad Casto-
rem & Pollucem, sed ad JESUM, quem ceca
gentilitas ignorabat, confugio, eumq; supplici-
bus veneror precibus, ut ad clavum sedens, o-
mnes errorum scopulos ac verticosas abyssus

A 2 de-

*declinare dignetur, quò navicula mea, veluti
secundis subvecta ventis, quem sibi proposuit,
portum facilius consequatur!*

I.
Ex Jure Naturali.

I.
PRivatam vi sibi illatâ, non implorato Magistratûs of-
ficio auxiliove, proprio facto se defendere posse, de-
fendendum suscipio. Naturalis enim ratio quemque si-
bi commendat, & caritatem sui ingenerat, illatasque si-
bi injurias, non solum illas, quæ interitum, sed etiam,
quæ damnum aliud inferunt, propulsare permittit. *l. 3.
de just. & jur. l. 4. pr. & l. 49. §. 4. ff. ad Leg. Aquil. l. 1. §.
27. ff. de vi & vi armat. Ordinatio criminal. Carolina artic.
139. & seq. consulatur magnifica ac veneranda Dn. D. Un-
gepauericanities in Exerc. Just. 13. quest. 10. Magnif. Dn.
Carpzov. in pract. crim. part. 1. quest. 28. Colleg. jur. Ar-
gent. lib. 48. tit. 8. th. 7. D. Biccus in pral. Aurea. thes. 3.
lit. P. D. Rebhan. in Hodoget. jur. chart. 2. clim. 1. Huic
verò assertioni meæ e diametro repugnare videntur le-
ges sacræ *Levit. 19, 18. Matth. 5, 43. & seqq. cap. 19, 19.**

Veruntamen ad has, & si quæ aliæ ex sacro Codice af-
feruntur, responderi potest; quod Christiani jubeantur
quidē proximum diligere sicut seipsos; non tamen obli-
gentur, eū magis, ac seipsos, aut præ se ipsis diligere. Un-
dè spontè suâ fuit, quod, ubi par imminet malum, quili-
bet sibi potius consulere possit. *Magnif. Dn. D. Strauch.
Præceptor atque Patronus meus summoperè observandus in
præ-*

praect. publ. ad alleg. l. 3. de just. & jure. Nobiliss. & Excell.
Dn. Praeses Praeceptor, Patronus ac Hospes meus atatem deve-
nerandus, in Not. ad Suzholt. Diss. 1. aph. 5.

II.

Ex Jure Gentium.

II.

Quoad longissimè potest mens nostra respicere spati-
um praeteriti temporis & annalium evolvere monu-
menta, observare licet, omninò moris fuisse, ut insepul-
ta projicerentur damnatorum cadavera, ac vel feris &
volucris dilanianda relinquerentur, vel unco in Ty-
berim protraherentur.

Si ad quotidianam experientiam animum & ocu-
los convertamus, docemur, quod etiam nostris mori-
bus ad furcam rotamve, aut simile supplicium damna-
torum cadavera insepulta relinquantur. *vid. Magnif. Dn.*
Carpz. in praect. crim. part. 3. quest. 31. n. 29. & seqq. junct.
quest. 137. n. 69. & seqq. Hahn. in obs. theoretico. praect. ad
w. Wesenb. tit. de cadav. punit. Id autem num satis piè
& humanè fieri possit, disquiritur?

Quod cum in utramque partem differatur, si con-
tra torrentem natare, h. e. communem opinionem im-
probare jus fasque esset, dicerem non denegari jus sepul-
turae, humanum & sanctum esse. Neque de hujus asser-
tionis, patrocinio magnoperè mihi laborandum vide-
tur. Habet enim illa, quibus & rationibus & autoribus
causam suam pulchrè tueatur. Ejusmodi enim denega-
tio pugnare videtur non solùm cum moderatione Chri-
stiana

▲

3.

Christiana



Itiana, sed & dignitate corporis humani, quod circum-
fert imaginem aeterni creatoris, ac pro quo mundi Re-
demtor ipse sanguinem suum effudit. *Conferatur Beat. D.*
Gerhardus in Loc. Theolog. Tom. VI. de Magistr. Polit. §. 310.
& Tom. VIII. de Morte §. 89. & qui plures adducit Praecla-
risimus Dominus Franckenstein. P. P. Academia Lips. cele-
berrimus olim Praeceptor atque Patronus meus omni honoris
cultu atatem prosequendus in praesent. publ. ad Sueton.

III.

Ex Jure Civili.

III.

Tantum abest, ut Advocato, qui dirimit ambigua fa-
ta causarum, liceat defendere causam, de qua ipse in
conscientia persuasus est, eam de jure non esse admitten-
dam, etsi non nesciat, esse quosdam, qui talia defendunt;
ut potius vel statim initio, vel in litis progressu animad-
vertens, causam esse omnino injustam, eam non suscipere
vel deferere debeat, *l. 14. §. 1. C. de judic.* Quoniam
enim laudabile vitaeque hominum necessarium advoca-
ti officium *l. 4. C. d. Adv. divers. judic.* respiciat proxi-
mum, ideo agit non solum contra justitiam & caritatem
proximi, tam clientis, quam adversarii, quos detinet à fi-
ne causae, utrumque emungit pecuniâ, & tandem victo-
rem etiam fraudat interceptione usus, verum etiam in
Deum, contraque suammet conscientiam peccat. *Magnif.*
Dn. D. Hulsemann. in Casibus Conscientiae, quos in celeberrima
Lipsiensium Academia publicè praelegere pergit: lib. 1.
cap. 8. §. 12. Nobiliss. Dn. D. Struve. Praeceptor ac Patronus
meus a viternum venerandus in Exerc. ad Pandect. 7. th. 5.

Con-

IV.

Controversi juris quæstio est, an fidejussor per 30. annos non interpellatus, præscriptionis exceptionem opponere possit, si debitor principalis ante præscriptionem fuerit interpellatus? Affirmativam acriter defendunt viri magni ac in jure versatissimi. Negativa autem juri conformior videtur, quam etiam Consultissimi Domini Assessores Scabinatûs Jenensis mense Martio hoc Anno secuti sunt. Si enim principalis obligatio per interpellationem principalis debitoris subsistit, quare non etiam accessoria? Neque enim opus fuit fidejussorem interpellare, sed prius interpellandus fuit debitor principalis, quo interpellato, perinde est, ac si fidejussor simul fuerit interpellatus, adeoque etiam nulla negligentia creditori imputari potest. Majoris evidentiae gratiâ evolvatur *l. fin. C. de duob. reis*, ex qua colligitur, quod factâ una interruptione omnes ad solutionem compelli possint. Undè liquet fidejussorem non juvari, quod adversus ipsum præscriptio specialiter non fuerit interrupta. Et ex *l. 91. §. 3. & 4. de V.O.* apparet: Quod interpellatio facta contra reum, perpetuet actionem contra fidejussorem, *jung. l. 58. §. 1. de fidejuss. Nobiliss. Dn. Struve in Collegio privato.*

V.

Quanquam in Caroli V. Constitutione Criminali, articulo 31. §. Ersilich, ibi: *Mit nahmen nicht fürgehalten / & ibi: sondern / daß er in gemein gefraget.* Expressè sancitum legatur, Judicem debere reum de sociis criminis comissi generaliter interrogare; attamen nihil obstare videtur, quo minus legitimâ præcedente præsumptione, etiam specialis interrogatio licita sit; *v. gr. de Titio, vel*
Cajo.

Cajo. vid. Math. Stephan. in Comment. ad prædict. artic. 31. n. 2. Huic quoque sententiæ non obstare l. 1. §. 21. ff. de quest. discursus docebit.

VI.

Num reus, qui Criminis suspicionem per torturam purgavit, definitivè absolvendus sit, ferram contentionis reciprocant Doctores. Pro contraria eadem sententia penè multi ac gravissimi militant scriptores, quos adducit *Magnif. Dn. Carpz. in Pract. Crim. part. 3. Qu. 125. n. 4.* Affirmativa autem uti mitior, ita legibus quoque conformior videtur. Contradicentes quidem potissimum opinionis suæ robur in eo ponere videntur, quod reus definitivè absolutus, postea de crimine eodem accusari nequeat. *C. de his criminibus. 6. extr. de accusat. l. 7. §. 2. ff. eod.* Cum tamen Reipublicæ inter sit, ne delicta manerent impunita.

Ne autem cumulatim variorum Doctorum auctoritatibus tempus & chartam perdamus, dicendum, regulam illam, quam illi pro stabilienda sua sententia ex d. text. adducunt, varias recipere limitationes, prout eleganter demonstrat *Magnif. Dn. Carpz. d. l. n. 6. & seqq.* ibique in hoc opinionis dissidio rectè concludit, reum hoc in casu præstitâ urphædâ definitivè esse absolvendum *arg. l. ult. ff. de calumn. & l. 3. C. de sent. & interloc. omn. jud.*

IV.

Ex Jure Publico.

VII.

SCeptum imperii Romano-Germanici Germano esse deferendum, *ex Aur. Bull.* colligere, non verò legere

gere possumus. *scil. tit. 2. verb.* Einen Römischen König / zu einem Käyser zuerheben / der darzu tüchtig sey. Non tamen necesse est, ut eligendus in Germania natus sit. Quoniam enim non tam natiuitatis locus, quam sanguis, ex quo quis prognatus, inspiciendus est. *l. 23. pr. C. de agric. Cens. & Colon. ibi: etiamsi in alia terra eam fecerit*, ideò ille quoque Germanus rectè dicitur, qui Patre Germano nascitur extra Germaniam.

VIII.

Quod Evangelici ac Protestantes Principes etiam ad solium Imperiale admittendi sint, nemo facile inficias ibit; Ast cur Rasa & Calva Cohors eò temeritatis & impudentiæ progressa est, ut hoc petulante linguâ & stylo impugnare haut erubuerit?

Rationes, (*si Diis placet!*) reddunt speciosas, quarum 1. Quod princeps Evangelicus sit hæreticus. Nonne autem lubricam istam opinionem ad facietatem fustigat Pacificatio Religiosa. §. Und damit solcher Friede? Prodeat itaque nunc Canin, aliquis, perfricet frontem ac dicat, hæretici nomen ei competere, qui religionem in Republ. approbatam tenet. Præterea si Protestantibus committitur electio, cur ex his non possit Imperator eligi? 2. Quod Evangelicus Princeps non possit observare juramentum, quo Rex Romanorum ad defensionem Pontificis Romani & Catholicæ Ecclesiæ obligatur: *in Capit. Casar. §. Das Wir in Zeit solcher unserer Königlichen Würden / Ampts und Regierung / die Christenheit und den Stuel zu Rom / auch Pabstl. Heiligkeit / und die Christlichen Kirchen / als der selben Ad-*
B vocat,

vocat, in guten treulichen Schutz und Schirm halten etc.
Quis autem non videt, etiam hanc rationem longè in-
firmiorem esse, quam ut adversarii nostri firmum in ea
ponere possint fundamentum? Siquidem ejus infirmi-
tatem facili negotio hinc potuissem demonstrare, nisi
hujus laboris exacto studio me sublevasset *Magnif. Dn.
Carpz. in Disp. Feud. 2. annexâ Qu. 2. n. 25. & seqq. conf.
Limn. lib. 2. de J. P. c. 2. n. 87. & 88.*

IX.

Num Elector se ipsum in Imperatorem eligere,
suaque voce numerum suffragiorum augere possit, in
disquisitionem venit: Atque adeo ut hæc tota Con-
troversia eò melius dijudicetur, industriæ pretium erit,
ab initio statim præcauere, ne fallacia *πολυζητήσεως* com-
mittatur. Duæ enim occurrunt hinc quæstiones, exactè
à se distinguendæ:

1. An Elector se ipsum possit eligere?
2. An voce suâ numerum præcedentium suffra-
giorum, sedesignantium, possit adaugere?

Posterior, quia in eo, qui à sociis vocatus & no-
minatus, eorum arbitrio & voluntati se committit,
omnis ambitionis suspicio cessat, simpliciter affirma-
tur.

Priorem quod attinet, negativa, quod scil. sei-
psum nemo eligere, h. e. primum sibi votum tribuere
possit, roboratur?

1. Textibus, & quidem, *c. 33. extr. de Elect. &
Elect. pot.* ex quo colligitur, quod Elector quidem ele-
ctioni de se factæ consentire, non verò se ipsum eligere
possit, *& c. 26. extr. de jur. Patron.*

2. Ra-

2. Rationibus ex utroque jure petitis, quarum potissimæ: Quod interdantem & recipientem debeat esse distinctio personalis, *in c. fin. extr. de institut.* Deinde quod testimonium habilitatis in propria causa planè sit suspectum, *arg. l. 25. de procur. l. unic. C. ne quis in sua caus. l. 31. C. de Episc. & Cleric.*

Atque in hanc negativam proniores videntur *Aurmannus. Discurs. 2. ad Aur. Bull. th. 22. Daniel Otto in Dis. de Jur. publ. cap. 10. & alii laudati Rumelino part. 1. Dis. 3. ad A. B. th. 14.*

Affirmativam cum *Goldasto* amplectitur *Magnif. Dn. Carpz. Dis. Feud. 2. Qu. 4.* ejusque fundamentum ponit *in A. B. tit. 2. §. ult. ibi vocem illius electi &c.*

Forfan pro conciliandis horum gravissimorum Autorum sententiis, non abs re erit, cum *Magnif. Dn. Tabore in MS. ad Dis. Dan. Otton. de J. P.* distinguere inter id, quod decorè fieri debeat; & id quod factum qualitercunq; sustinetur. Ac si quærat de eo, quod fieri debeat, utiq; præferendum erit consilium *Cæpollæ*, quod refert *Reink. lib. 1. de Regim. Secul. & Eccles. clas. 3. c. 5. n. ult.* Ut, quando quis ex Electoribus spem habeat, se electum vel nominatum iri, primum votum deprecetur & aliorum suffragia expectet; vel si id per ordinem lege præscriptum fieri nequeat, alii votum modestè conferat, eoq; se à suspicione liberet. Quod si verò bonâ mente vel fiducia; vel qualicunq; exhortatione præviâ modestè innuerit, se onus non detrectare; electio præterea impugnari non poterit, quippe quæ lege speciali sustineatur, *d. t. 2. §. ult. A. B.* quæ concessio legis juncta cum consensu Collegarum, omnem sequiorem suspensionem facilè abstergit. *Conf. Magnif. Dn. Carpz. d. 2. n. ult.*

X.

Quod legati Electorum, qui justo impedimento detenti, ad Imperialem curiam venire non possunt, ad mensam Principi suo pro forma paratam non admittantur, patet ex *A. B. tit. 28. § fin. ibi*: Einen Botten / oder Berweser / welcherley Würdigkeit oder Wesens der sey / sendet / so sol der Gesandte angenommen werden / doch gleichwol an dem Stul und Tisch nicht sitzen / wie dem / so ihn dahin geschickt / zu sitzen gebühret.

Neque ullam dubitandi rationem causari potest illud Politicorum; quod omninò idem honor Legatis exhibendus veniat, qui iis, à quibus missi sunt, si praesentes essent, deberetur. Neque dubium movet, quod legati jure quodam representationis subsellia Principum jubentur occupare, *arg. l. r. C. de offic. Vicar. C. precipimus, ult. Dist. 93. ibi*: Tunc enim sicut illius locum tenens honorabitur.

Magnam enim hinc actuum diversitatem observare possumus. In functionibus enim officii necessariis meritò Dominorum locum Legati occupant; Non verò in minus necessariis, *vid. Rumelin. in part. 3. Dissert. ad A. B. 6. th. 9. ubi exempla recenset.*

V.

Ex Jure Feudali.

XI.

Investituram de Caducitate successionis, die Expectans Lehn / vel die Auffwartung auff eines noch unverledigten Lehns / it. Ausgebethen Lehn / licitam esse, probat *2. F. 26. §. 2. & 1. F. 3.*

Nec

Nec refragatur illis, quod ejusmodi promissio votum captandæ mortis inducere, adeoque bonis moribus contrariari videatur, *arg. l. fin. C. de pact.* Cessat enim hic omnis mala præsumptio contra investitum. *Conf. Dn. Ludov. in Synops. Jur. Feud. c. 8. & Nobiliss. Dn. Struve. in Exerc. Feud. 7. th. 5.*

XII.

Licet Vasallus, qui juravit Domino ejusque successoribus, videatur vi istius juramenti jam satis obligatus, quia tamen mortuo Domino, contractus feudalís ad Vasalli petitionem, per solennem investituram à parte Domini, & fidei promissionem; juratam à parte Vasalli, est renovandus, ideoque Vasallus successori, tanquam novo Domino, novum quoque juramentum præstare debet. *2. F. 24. pr. & 40. pr. Nobiliss. Dn. D. Struve in Exerc. Feud. 10. th. 5.*

XIII.

Vasallum adversus Dominum injustè offendentem, defendere se posse, omnia jura permittunt. *Repet. posit. nost. 1.* Id enim mutua inter Dominum & Vasallum obligatio requirit, ut fides sit reciproca. *2. F. 6. & 26. v. Domino & 47.* Præterea mutuam hanc fidelitatem declarat ipsum præstitum juramentum, quod semper tacitam annexam habet conditionem, si sc. sibi fides serve-
tur. c. 3. extr. de jurejur. Conf. Vultej. de Feud. lib. 1. c. 10. n. 28. & Ludov. in synops. Feud. cap. 14. Magnif. Dn. Richter in part. 1. Decis. 2. n. 4.



VI.

Ex Jure Canonico.

XIV.

Sponsalia de præsentì non esse matrimonium, de Jure Canonico & Consuetudinario exindè verificatur, quod de neutro priùs validum & firmum censeatur matrimonium, quam si per ministrum verbi divini publicè denunciatum, nec non coràm facie Ecclesiæ mutuâ re-promissione fides conjugalis ab utroque nubentium sponsonsa fuerit. *c. aliter. 1. cum seqq. caus. 30. Qu. 5. Ordinat. Ecclesiastica Illustriss. Electoris Augusti Anno 1580. rubr. General Artikel/ und gemeiner Bericht/ cap. 13. von der Copulation und Hochzeiten.* Verus enim consensus conjugalis, qui matrimonium facit, & involvit individuan vitæ consuetudinem, constituitque affectionem maritalem, in illa demum sacerdotali benedictione intercedit; ille autem, qui præcesit sponsalitiis tantum est, & non matrimonium, sed sponsalia facit. Hinc in nostris Ecclesiis receptum, ut, quæcunque etiam sponsalia præceserint, sponsus & sponsa semper interrogentur: *Ob Sie einander zur heiligen Ehe nehmen wollen. ? Non verò: Ob Sie zuvor einander genommen?*

XV.

Quamvis in quibusdam Casibus ex cohabitatione matrimonium præsumatur; attamen si agatur de matrimonio probando inter cohabitantes, longè aliter se res habet. Quoniam enim jure Canonico & Consuetudinario benedictio sacerdotalis requiritur, vix est, ut præsumatur ex cohabitatione matrimonium.

XVI.

Quanquã Jure Canonico unius dissensu & renuncia-
tione

tione sponsalia dissolvantur *C. 2. & 17. extr. de spons.* De jure tamen divino & moribus nostris, concedendum haud erit, ut sanctissimum matrimonii foedus, quod à divina dependet autoritate, pro humano arbitrio scandalosè & cum pessimo Reipub. Christianæ exemplo violetur, prostituatur. Si autem justæ & sufficientes causæ subsint, nihil obstat, quo minus publicâ Magistratûs autoritate sponsalia legitimè contracta dissolvantur. *vid. Magnif. Dn. Carpz. in Jurispr. consist. lib. 2. def. 176. & seqq.*

XVII.

Quemadmodum jus civile parentum consensum in nuptiis liberorum de necessitate requirit; ita quoque jus canonicum leges hac in re sequi non dedignatur *C. non aliter. C. nostrates. 3. quest. 5. C. non omnis. C. honoratur. 32. quest. 2.*

XVIII.

Controvertitur, an puella per vim stuprata possit stupratori nubere, eumque hoc modo à pœna mortis liberare? Quod affirmat *c. 7. extr. de rapt.* Idq; ob favorem matrimonii, quia deflorata & corrupta aliàs non facile virum invenire potest. *Conf. Magnif. Dn. Carpz. in pract. crim. part. 2. quest. 75. n. 65. & seqq.*

XIX.

Ultimam nunc dissertationi meæ impositurus manum, breviter proponam questionem; an jure canonico ex pacto nudo, de re certa animo se obligandi à sciente & volente inito, detur actio? Affirmativam cum Dd. communiter colligere possumus *ex c. 1. & 3. de pact. can. juramenti. 12. quest. 5. caus. 22.* Si enim Dominus inter juramentum & loquelam nostram, nullam vult esse distantiam, sequitur, ex quavis conventionè & pacto etiam nudo dari actionem. Ratio consequentiæ est, quia juramen-

ramentum producit actionem. l. 9. §. 1. l. 13. §. 5. de jure
jur. Sed prius de jure canonico ex canon. 12. est verum;
Ergò etiam posterius verum erit & canon. Puella. 91. caus.
20. Conf. Nobiliss. Dn. D. Struve in Exerc. VI. th. 17. & in
eam prælect. publ.

Et tantum, non quidem pro materiæ dignitate,
sed temporis & chartæ angustia, ingeniique tenuitate
protulisse sufficiat. Jam portum adeptus lætor, ac si a-
licubi, quod in tanta materiæ ac opinionum diver-
sitate vix effugisse cuiquam licebit, aberravero, Benevo-
lus Lector veniam mihi non denegabit, meque rectius
informatum ad obsequendum facilem sibi persuadebit?

Deo Ter Optimo Maximo,

*Summo studiorum meorum Directori ac Patrono, sit laus,
honor & gloria, in sempiterna secula!*

*Pereximio atq; Erudito Dn. Respondenti, Disputationis hujus
Auctori, Amico atque Consalino suo
dilectissimo.*

Retia sub liquidas solers nisi miserit undas
Piscator, fune & flumina sæpè secet,
Nil capiet. Contra rigidos quicunque labores
Pertulerit, quondam commoda multa feret.
Hoc tecum perpendens, **HANWACKERE**, labores
Urges, & volvis nocte dieque libros.
Mactè Novenarum dulcissime ocelle sororum:
Hinc decus & virtus, hinc bona fama venit;
Hinc multi fructus veniunt, hinc commoda multa,
Nil ego plus addam: Vive valeque! sat est.

gmt. ex animo

Præses.

F I N I S.

94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle

3

002 381 974




sb.

7360



A **S**piritus sancto et ceperunt loqui
humana dicit suo illud. Eua



5
MENTER GUBERNANTE;
torum Jenensium
permittente;
ESIDENTE
VIRO
Excellentissimo atq; Consultissimo
IO FRIDERICO
U. D. Prof. Publ. celeberrimi
riae Prov. Facult. Jurid. & Sca-
lmo, Patrono, Hospite atque
ni honoris atq; observantiae
tem prosequendo,
LLANEAS
TIONES,
Inquisitioni exhibet
DERICUS Hanwacker/
Hennebergicus.
torio Jctorum
D. Mart.
ris consuetis.
ANNO
la nostra IVbILao.
E N Æ
HANNIS NISIL.
1658